

reditarium bona fide, & titulo singulari de Jure valido possidet v. g. pro emptore, donato, dote, legato, non tenetur hac actione *lib. 9. §. 1. ff. eod.* tum quia possidens titulo singulari, habet jus fortius: nam pater tritulum, in quo par est heredi, habet etiam possessionem rei: tum quia heres allegando titulum hereditatis, non contradicit intentioni allegantis titulum singularem empti, donati &c. *l. 2. C. de perit. hered.* Excipe nisi emptor modico pretio emerit, vel nisi heredi contra venditorem non sit consultum; ut quia abest, vel non est solvendo. *lib. 13. §. 4. ff. de hered. perit.* Alioquin heres pro recuperandis rebus hereditariis venditis intentare debet reivindicacionem probando dominium. *l. 2. in fin. l. 7. in fin. C. eod.*

85. R. 4. Hereditatis petitio competit pro rebus univervis, que mortis tempore erant in bonis testatoris, vel hereditati jacenti accesserunt. *l. 18. §. fin. l. 20. §. 3. ff. de hered. perit.* ut sunt corpora, jura, nomina, fructus, usure, reparaciones damnorum ex lege Aquilia: item res illæ, quarum periculum tangit heredem; ut res defuncto depositæ, pignorate, commodate. *l. 9. pr. l. 34. ff. eod.* Fraudæ, cum hodie naturam bonorum patrimonialium imitentur, etiam merito cadunt sub hanc actionem; non tamen hereditates. *l. 19. §. fin. eod.* quia hæc restitut non possunt; sed si quis prohibeat usum servitutis prædio debite, propria actione confessoria experiendum erit. E contra usufructus, & aliæ servitutis personales peti possunt hereditatis petitione *arg. a. f. c. l. 19. in fin. c. i.* Varios casus de hac actione vide in Pandectis *lib. 5. tit. 3. & 4. in Codicæ lib. 3. tit. 31.*

86. Hic adverte hereditatis petitionem concedi Jure veteri *XII. Tabb.* heredi civili ex testamento, vel ab intestato. Jure prætorio conceditur heredi, seu bonorum possessori possessoria hereditatis petitio, qua Prætor providet iis, quibus dat bonorum possessionem; & in effectu non differt a civili hereditatis petitione. Vide *tit. ff. de possessoria hereditatis petitione.* 2. Jure civili novo ex Senatus Consulto Trebelliano inducitur datur fideicommissaria hereditatis petitio illi, cui per fideicommissum restituta est hereditas, contra possessores rerum hereditariarum; non tamen contra heredem fiduciarium, qui restituit; quia si integre non restituit, contra eum agitur ex testamento. Actio ista in effectu non differt ab hereditatis petitione. Vide *tit. ff. de fideicommissaria hereditatis petitione.* Ex his patet tres dari hereditatis petitiones, duas civiles ex Jure civili veteri, & novo, & unam prætoriam ex Jure prætorio *l. 1. 2. §. ff. de hered. perit.* 3. Pro hereditatis petitione substituitur salubriter interdictionum saltem utile *quorum bonorum*, de quo infra *tit. 15. n. 16.*

87. Q. II. Quid sit actio familia heriscunde? cui? contra quem? & ad quid competat? R. 1. Actio familia heriscunde est actio civilis, mixta, duplex, competens heredi contra heredem primario ad hereditatem dividendam; & secundario ad præstationes personales ex bono, & æquo adjudicandas. Nominè familie hic venit hereditas, quæ ex *L. XII. Tabb.* dicitur heriscunde, hoc est dividenda ab antiquo verbo heriscere, seu dividere. Est autem actio ista univervis, quia versatur circa universitatem hereditatis: mixta quia familia heriscunde iudicium ex duobus constat; id est, rebus atque præstationibus, quæ sunt personales actiones *l. 22. §. 4. ff. familie heriscunde.* Oritur ista actio personalis ex quasi-contractu, qui hoc ipso confertur inius, quod quis sit coheres, seu heres cum aliis heredibus *§. 4. de oblig. ex quasi-contr.* nam ratione fructuum, damnorum, & aliarum obventionum, vel deteriorationum agitur in personam, ut fructus percepti aequaliter dividantur, incommoda aequaliter sentiantur; damna dolo, vel culpa etiam levi data reparantur; & si quid ab uno utiliter impensum est in res hereditarias, id ei pro rata compensetur. Igitur vi haurit præstationem actio ista est personalis; primario vero reus ad hereditatem dividendam. Dicitur autem actio ista duplex: quia uterque coheres est actor, & reus, utpote alter alteri obligatus; in processu vero iudicij is tenet partes actoris, qui primus ad iudicium provocavit. *lib. 13. 29. ff. de iudic. l. 2. §. 1. ff. communi divid.*

88. R. 2. Actio familia heriscunde competit dividenda vero coheredi ex testamento, aut ab intestato;

illis bonorum possessori, fideicommissario, & ei, qui verus heres non est. *l. 2. §. 1. ff. fam. herisc.* cum tamen sine decreto iudicis non intentat pupillis; & minoribus prohibita *tit. ff. de reb. eorum.* Nec obstat *l. 5. in fin. l. 7. pr. ff. de reb. eorum.* Nam Jura ista loquuntur de divisione, & alienatione necessaria, dum hæres, vel socius majorennis provocat minorennem ad divisionem hereditatis, vel rei communis. Ex his etiam patet actionem istam dari contra coheredem unum, vel plures.

89. R. 3. Actio familia heriscunde competit pro dividendis rebus hereditariis; & quidem ab intestato aequaliter; ex testamento vero arbitretur sequitur iudicium patris, ita dividendo, sicut pater præscripsit, salva semper legitima. *l. 1. 16. C. fam. herisc.* Hodie, si pater nihil divisit, major partes facit, & æstimat; minor vero eligit. Non veniunt autem in hoc iudicium, res inhonestæ, ut furto quaesitæ; quæ restitutioni sunt obnoxie; & perniciosæ, ut mala medicamenta; libri heretici, aut magici, quæ statim a Judice corrumpi debent *l. 4. §. 1. & pen. ff. eod. nomina*, quorum non divisio, sed assignatio fit *lib. 6. C. eod. peculium castrense, vel quasi, & adventitium l. pen. C. eod.* bene vero profecturum. *l. 13. C. eod.* & ea, quæ collationi sunt obnoxia. 2. Veniunt in hoc iudicium præstationes personales, commoda, & incommoda aequaliter pro rata sentienda, debita hereditaria luenda *l. 3. §. C. eod.* & si res hereditaria uni adjudicata, evicta est, tenetur coheres de evictione: nisi quique periculum suæ partis in se suscepit. *l. 14. C. eod.* Varios casus circa hoc iudicium vide *tit. ff. & Cod. familie heriscunde.*

90. Q. III. Quid sit actio communi dividendo? R. est actio civilis, mixta, duplex, competens illis, qui ex justa causa habent rem singularem communem, primario ad rem istam dividendam, & secundario ad præstationes personales ex æquo adjudicandas, sicut in iudicio familia heriscunde. *§. 20. h. t. Dicitur 1. ex justa causa*, quia inter prædones, & dolos possessores non datur hæc actio, ne ex improbitate sua beneficium actionis consequantur. *l. 7. §. 4. ff. communi divid.* Dicitur 2. rem singularem v. g. ex legato, donato, empto acquisitam; per quod differthoc iudicium a priori, in quo dividitur res univerva hereditatis. Inventæ autem sunt actiones istæ divisorie ad tollendas discordias, quarum mater est communio; ita ut neque testator prohibere possit divisionem rei communis. Cetera pleraque servantur, sicut in iudicio fam. heriscunde; hoc tamen excepto quod communi dividendo sæpius agi possit: iudicio vero fam. heriscunde utpote univervali, non nisi semel; ita ut, si res aliquæ inter coheredes indivisive maneat, deinceps communi dividendo agendum sit. *l. 20. §. 4. ff. fam. herisc. l. 3. §. 2. ff. com. divid.* Varios casus de hac actione vide *tit. ff. & C. communi dividendo.*

91. Q. IV. Quid sit actio finium regundorum? R. est actio civilis, mixta, duplex, competens habentibus confines agros; primario ad divisionem agrorum secundum terminos, & secundario ad præstandum interesse ratione ejus, quod fundi domino abest. *l. 1. ff. finium regundor.* Hæc actio ex *L. XII. Tabb.* introducta, ideo dicitur finium regundorum, quia agitur illa de finibus confusis regendis; regere autem fines, est terminos agrorum confusos discernere, & demonstrare, vel antiquos reparando, vel novos constituendo. *l. 3. Cod. eod.* ob quod etiam vocatur actio limitaris, vel iurgium finale; etque stricti juris, cum *§. 28. h. t.* non numerentur inter actiones bonæ fidei; atque ita fructus in ea non veniunt, nisi post licent contestatam. *l. 4. §. 2. ff. fin. regund.* 2. Hæc actio directæ datur dominis; utilis vero quasi-dominis; & in ea uterque litigans tenetur fines probare per instrumenta, sepes, fossas, lapides, & alia signa terminantia, quæ in postremo contractu erant. *l. 1. C. eod.* In casu, quo termini sunt obscuri, vel agri commode terminari non possunt, locus est adjudicationi ex bono, & æquo. *l. 2. 4. ff. eod.* ne rixis deur occasio. Ceterum dum in his tribus iudiciis divisoris res, quæ commode dividi nequit, adjudicatur alteri, is tenetur pecunia, vel alio modo refarcire interesse alterius partis. *ibid. §. 20. v. in quibus. h. t.* quia tali casu pretium succedit loco

eo rei. Illi autem res est adjudicanda, qui in ea majorem partem, vel plus juris habet; quia plus trahit ad se minus: scus si Jura sint equalia, res sorti committenda est. *l. 14. ff. de iudic.* Vide de hac actione *tit. ff. & C. fin. regundor.* Item contra eos, qui terminos movent, competit actio criminalis ex *tit. ff. de termino movent.* & illa *Lex. XII. Tabb. qui terminum exarastit, ipsos, & boves ejus sacrati sunt.*

Hic adverte in Pandectis *lib. 10. tit. 4.* actionibus mixtis conjungi actionem ad exhibendum; non quod sit proprie mixta, sed quod imitetur naturam mixtarum, De fe autem est personalis: atamen in rem scripta, & reivindicacionis preparatoria, ut dicam *n. 112.*

§. VII.

De Actionibus in simplum, duplum, triplum, quadruplum.

NE pene civiles in infinitum extenderentur, determinavit eas Imp. usque ad quadruplum; cujus ratio non est alia, nisi voluntas Legislatoris.

92. Q. I. Quæ sint actiones in simplum? R. omnes illæ, quibus præcise petimus rem nostram, vel nobis debitam abque addito pene legalis; ut ex stipulatione, mutuo, venditio &c. *§. 22. h. t.* pena conventionalis non mutat actionem simpli; ut si morosus debitor pro pena conventa debeat aliquid solvere. Similiter actio *L. Aquilia*, licet ex *c. 1. & 3.* fit penalis quo ad excessum, tamen quia pena non duplicatur cum re, est actio simpli.

93. Q. II. Quæ sint actiones duplæ? R. illæ, quibus agitur in duplum, vel solius pene; sicut furti nec manifesti, vel in simplum rei, & alterum tantum pene superaddendo æstimationem rei. *§. 21. h. t.* cujusmodi sunt actio *L. Aquilia* contra inscientem, actio prætoris depositi tempore ruinæ, actio ex legato pio venerabilibus locis relicto, de quibus supra dictum *n. 75. & seq.* item actio servi corrupti, qua dominus, vel fructuarius agit contra eum, qui dolo consilio, vel hortatu ex servo bono fecit malum, vel ex malo deteriorem. Est hæc actio prætoris ex Edicto Prætoris *l. 1. ff. de servo corrupto, mixta*, seu rei, & pene prætorica in duplum: atque ita si servus ante corruptionem valuit 40. solvi debent 80. una cum eo, quod interest, & quod servus abstulit. *lib. 1. §. 3. ff. eod.* & in odium hujus delicti est perpetua *l. 13. eod.* Utilis hæc actio competit patri, marito, domino, magistratui, patrifam. Prætor regulari contra corruptorem liberorum, uxoris, famulorum, subditorum, familie, Religiosorum. *arg. l. 14. §. 1. eod.* quo casu liberæ persone non æstimantur, sed eorum operæ, quibus ob mores malos inductos privantur Superiores. Unde *Mynsing. hic num. 4.* docet, quod, si pater filiam morderat clare potuit cum dote 100., nunc vero quo ad mores corruptam vix cum dote 300. collocare possit in matrimonium, corruptor filie teneatur ad solvendo 300. At si filiam desideravit dolo, de Jure Canon. *c. 2. de adulter.* tenetur eam ducere, vel dotare.

94. Q. III. Quæ sit actio in triplum? R. unica, scilicet conditio ex lege ob majores sportulas, quæ datur reo contra actorem, qui fraudulentè plus in libello complexus est; & quidem in triplum ex gravamine sportularum metiendum. *§. 24. hoc tit.* ubi Imp. revocat fe ad constitutionem suam, quæ in primo Codice extabat; in moderno vero desideratur: olim enim reus tenebatur executoribus, hoc est apparitoribus, & nunciis publicis dare sportulam (hoc est pecuniam, sumendo continens pro contento; quia pecunia in sportulis, seu calathis ex vimine contextis ferebatur) secundum quantitatem summæ in libello expressæ; ut unus aureus pro 200. adeoque si actor dolo expressit 400. debebant dari duo auri. Ad hoc igitur præcauendum præfens actio civilis inventa est, quæ mixta est in simplum sportule, & duplum pene: sed hodie, ubi ministris publicis salaria definita sunt, vix ei est locus.

95. Q. IV. Quæ sint actiones in quadruplum? R. illæ, quæ persequuntur, vel quadruplum pure pene; uti actio furti manifesti, vel simplum rei, & triplum pene; uti actio vi bonorum raptorum, actio de calumniatoribus, conditio ex lege adversus executores,

& actio quod metus causa. *§. 25. 26. 27. h. t.* quæ ultima a ceteris differt, quia illa sunt absolute in quadruplum; e contra actio metus est tantum conditionate in quadruplum, si a Judice justus restituere, non pareat; quia tunc secundum rigorem Juris condemnatur in quadruplum. *cir. §. 27. & 31. h. t.* de quo infra *n. 106.* Hic solum due medie actiones explicande.

96. Actio calumnia, puta civilis a Prætorè introducta, est illa, quæ datur contra eum, qui pecunia accepta, vel data, alterum vexat in iudicio; & quidem intra annum in quadruplum, post annum in simplum. *§. 25. h. t. l. 1. ff. de Calumniator.* In quadruplo continetur simplum rei date, & triplum pene; adeoque actio ista est mixta, seu persecutoria rei, & pene. Vexatio ista in iudicio fit dupliciter: faciendo, cum quis a tertio accipit pecuniam, ut innocenter injuste provocet ad iudicium; & non faciendo, dum quis ab innocente accipit pecuniam, ne illum vexet in iudicio, ad quod aliunde ex Jure naturali tenebatur. Non est autem locus huic actioni, si pecunia accipitur via transactionis, vel in casu calumnie criminalis, qua falsum crimen obicitur; sed tunc observatur Senatus Consultum Turpillianum. Gothofr. ad *lib. 8. ff. de calumniatorib.* 2. Actio calumnie competit vexato, sive is pecuniam dedit tam contra eum, qui pecuniam ab eo recepit, ne sibi litem intentaret; tam contra alium, qui pecuniam dedit ad litem intentandam, ne vexaretur, sive alius, ut vexaretur contra alterum; cum uterque pari turpitudine laboret. *lib. 3. §. fin. ff. eod. l. 31. C. de Episc. & Cler.* Si alius dedit pecuniam, ne me calumniaris; illi competit actio in simplum rei, & mihi in triplum pene. *l. 7. §. 1. ff. de calumniatorib.* Item hæc actio saltem utilis accommodatur contra procuratorem, & advocatum, qui pecuniam acciperent, ut patenter se vinci in iudicio. In heredem in tantum datur, in quantum lucra turpia ad eum pervenerunt. *l. 5. pr. ff. eod.* 3. Si pecunia data est, ne moveretur aliquod negotium extrajudiciale, non hæc, sed alia actio datur v. g. conditio ob turpem causam. Vide *tit. ff. de calumniatorib.*

97. Actio, seu conditio ex lege adversus executores est illa, quæ competit gravato contra Judices, & alios ministros publicos exigentes majores sportulas, quam sint a lege taxatæ; & quidem in simplum rei date, & triplum pene. Utilis datur contra omnes publicos officiales; si quid ultra confectas sportulas exigant. Manz. Dicitur autem conditio ista ex lege; quia actio a lege concessa, si proprium nomen non habeat, vocatur conditio ex lege. *tit. ff. de condit. ex lege.* Hodie videtur pena arbitraria; quia salaria fere ubique publicis ministris sunt constituta.

Explicamur §. 26. & 27. h. t.

98. §. 26. h. tit. ponitur differentia in actionibus duplaribus: nam actio furti nec manifesti, & servi corrupti semper est in duplum: actio vero *L. Aquilia*, testamenti pro legatis piis, & prætoris depositi in casu ruinæ, in solo casu inscientiam sunt in duplum.

§. 27. h. tit. ponitur differentia in actionibus quadruplaribus: nam actio metus est in quadruplum conditionate, si reus non pareat Judici interloquenti: cetera vero sunt absolute in quadruplum; & quidem actio furti manifesti in quadruplum pure pene; actio autem in factum de calumniatoribus, & conditio ex lege contra executores in simplum rei, & triplum pene.

§. VIII.

De Actionibus bona fidei, & stricti juris.

99. Sicut in Jure Can. *lib. 3. tit. 14.* divido contractum in bonæ fidei, & stricti juris, ita quoque hic *§. 28.* cum Imp. recte dico: *actionem quædam bonæ fidei sunt, quædam stricti juris:* quæ diviso a Jure Can. non reprobatur; sed potius approbatur *cap. 6. de exception. c. 3. de caus. possess.* Bonæ fidei hic non accipitur ut opponitur dolo, & fallaciæ, seu malæ fidei; quia sic omnis actio debet esse bonæ fidei; seu sinceræ, & ab omni dolo libera; sed prout importat quamdam æquitatem oppositam stricto, & summo juri, hoc est conventioni secundum expressos apices confide-

siderata: quo sensu dicimus: *summum ius, summa injuria*.

100. Q. I. Quid sit actio bona fidei, & stricti juris? R. ad 1. Actio bona fidei est illa, in qua Judex habet amplam potestatem ex aequo, & bono iudicandi non tantum de expresse conventis, sed etiam de his, quae neque dicta, neque cogitata sunt, & tamen ob aequitatem naturalem censentur tacite inesse conventioni. R. ad 2. Actio stricti juris est, in qua Judex, servata iustitia, tenetur iudicare stricte secundum expressos conventionis terminos; ita ut nec in plus, nec in minus condemnet. Cape utriusque exempla: 1. Titius vendit Cajo equum interno vicio laborantem, quo casu, etsi nihil dictum, vel cogitatum fuerit; tamen secundum Aedilium Edictum tenetur Titius ad instantiam Caji equum recipere, & pretium ei restituere; vel si Cajo placet, tantum de pretio remittere, quanto minoris equus valet: e contra Titius donat equum moribundum Cajo, quo casu non potest Cajo agere contra Titium, quod equum sanum non donaverit. l. 12. ff. de edilit. edict. quia iuxta illud S. Hieron. equi donati dentes non sunt inspiciendi. Vides in priori casu non attendi strictam conventionem; bene vero in posteriori; quia emptio, venditio est bonae fidei, donatio vero est stricti juris. 2. Vendit Titius hortum pendensibus fructibus, de quibus nihil est expressum in contractu; hic ex bono, & aequo censetur simul venditi fructus l. 13. §. 10. ff. de action. empt. e contra per stipulationem promisso, vel donato horto, si de fructibus nihil sit expressum, fructus non censentur promissi, aut donati. l. 78. §. 3. ff. de Verb. Obl. 3. Titius agrum suum permutavit cum agro Caji, qui a domino evictus est: hic Cajo tenetur Titio de evictione, etsi de illa nihil fuerit cogitatum. l. 1. c. de rer. perm. ut si ager donatus, vel legatus evictus sit, donator, vel haeres donantis non tenetur de evictione. Nec obstat c. 6. de donation. nam in eo plus non dicitur, quam donationem non esse restituendam contra mentem donatoris: at ubi de mente donantis non constat, recte donatio, tanquam stricti juris, strictam recipit interpretationem.

101. Q. II. Quae sint actiones bonae fidei, & quae stricti juris? R. ad 1. Illae tantum sunt actiones bonae fidei, quae enumerantur §. 28. b. t. suntque 1. Actio ex empto, quae datur emptori contra venditorem. 2. Actio ex vendito, quae datur venditori contra emptorem. 3. Ex locato competens locatori contra conductorem. 4. Ex conducto competens conductori contra locatorem. 5. Negotiorum gestorum directae competens domino contra gestorem: & contraria competens gestori contra dominum principalem. 6. Mandati directae competens mandanti contra mandatarium; & contraria competens mandatario contra mandantem. 7. Depositii directae competens deponenti contra depositarium; & contraria competens depositario contra deponentem. 8. Pro socio utrinque directae competens socio contra socium ejusdem societatis. 9. Tutela directae competens pupillo contra tutorem; & contraria competens tutori contra pupillum. Sub his continetur actio cure, seu curatela. 10. Commodati directae competens commodanti contra commodatarium; & contraria competens commodatario contra commodantem. 11. Pignoratitia directae competens debitori ad repetendum pignus soluto debito; & contraria competens creditor, si quid ex suo rem pignoratam impendit. 12. Familia heredesfamiliae competens cohæredibus ad dividendam hæreditatem. 13. Communium dividendum competens pluribus ad dividendum rem singularem, quam citra contractum societatis communem habent. 14. Prescriptis verbis de aestimato, seu actio aestimatoria, quae est civilis personalis competens aestimanti contra eum, qui rem ab illo aestimantem, seu certo pretio vendendam accepit, ad hoc, ut vel aestimationem rei, vel ipsam rem integram reddat una cum fructibus. 15. Actio praescriptis verbis ex permutacione, quae est civilis personalis, competens ei, qui rem unam dedit pro altera ad hoc, ut interesse præsteret, si vicissim alter rem suam dare pollet. Et quia in vectori sententia permutatio non differt a contractu ignominato de, ut des, sequitur ex hoc contractu actionem esse bonae fidei. 16. Hereditarij petitio, quae olim fuit stricti juris, nunc ex Constit. Justiniani l. fin. in fin. c. de petitio. hered. fa-

cta est actio omnimodo bonae fidei. 17. Actio reivindicatoria, quae olim soluto matrimonio dabatur uxori contra maritum, vel ejus heredes ad res dotales reperendas; sed ex constitutione Justiniani l. un. princ. C. de rei uxorie act. actio rei uxorie transiit in actionem ex stipulatu de recuperanda, vel recuperanda, quam Imp. voluit esse bonae fidei; cum alias actio ex stipulatu sit stricti juris. Et quidem actio ex stipulatu de dote petenda competit, constante matrimonio, marito contra promissorem, ut is dorem promissam tradat cum fructibus, & usuris a tempore mora debitis; sicut accidit in aliis actionibus bon. fid. Actio ex stipulatu de dote repetenda competit uxori, vel aliis contra maritum, vel alium dotis possessorem, ut, soluto matrimonio illam reddat cum fructibus, & usuris. cit. l. un. Plura, quae de his actionibus quæri possent, inventies in Jure Can. suis locis, & titulis. Actio funeraria, quae quis persequitur sumptus funeris a se factos, est quidem bonae fidei l. 14. §. 6. ff. de religiof. & sumpt. funer. sed continetur sub negotiorum gestorum actione, tanquam species sub suo genere, arg. cit. lib. 14. §. 11. & 13. ff. eod. Zoef. tamen dicit illam esse stricti juris.

102. R. ad 2. Ceterae omnes actiones, praeter enumeratas, sunt stricti juris; ut reivindicatio cum aliis realibus; condictio certi ex mutuo; condictio indebiti cum pluribus aliis conditionibus; actio ex stipulatu; sinium regendorum; ex testamento; actio praescriptis verbis, seu in factum contractibus inominatis de, ut facias, facio, in des, facio, ut facias; actiones in factum ex interdicitis; omnes actiones penales &c. Ratio, quare illae sint actiones bonae fidei, & istae stricti juris, a Jafone non reddidit alia, quam voluntas legislatoris. Alii tamen DD. & cum his Manzjus varias assignant congruentias: 1. quia ex actionibus bon. fid. alique sunt universales, & amplae; adeoque requirunt amplam interpretationem ex bono, & aequo: ut hereditatis petitio, fam. heredesfamiliae, commune dividundo, negotiorum gestorum, tutela, pro socio. 2. alique fundantur in favore, & amicitia humana; atque ita petunt large iudicari; ut in mandatis, depositis, commodatis. 3. Actiones bonae fidei ferè omnes important mutuum obligationem passivam; adeoque utrique contractanti utile est, ut non præcise verba, sed mens & aequitas naturalis attendatur: e contra actiones stricti juris plerumque ex parte unius important obligationem passivam; atque ita aequum est, ut partis obligatae, & non obligatae causa stricte secundum verba conventionis iudicetur; ut in mutuo, donato, stipulatione &c. Ceterum quia actiones sunt Juris publici, patris privatorum non mutantur; adeoque actio stricti juris non efficietur bonae fidei, etsi illi addatur clausula, ut Judex ex bono, & aequo iudicet. Harp. Manz. & alii contra Wesemb.

Explicatur §. 30. b. t.

103. Hic Imp. ponit differentiam in actionibus, seu judiciis bonae fidei & stricti juris: nam 1. in judiciis bon. fid. Judex habet liberam potestatem ex aequo, & bono aestimandi, quantum auctori adjudicare debeat: e contra in judiciis stricti juris iudicare debet secundum expressa verba conventionis. 2. In judiciis bon. fid. Judex ipso Jure admittit compensationem; ut si actor petat 100. & debeat reo 50. Judex non condemnabit reum nisi in 50. quia reliqua summa compensatur cum debito 50. At in judiciis stricti juris olim non admittebatur compensatio; deinde ex Rescripto D. Marci inducta est compensatio pro viam oppositionis, seu exceptionis: & tandem Imp. Justinianus voluit ipso Jure admitti compensationem in judiciis omnibus sive bon. fid. sive stricti juris: puta in quantitatis, non corporibus; sicut pecunia compensari potest pro pecunia, vinum pro vino ejusdem generis, & bonitatis. l. fin. c. de compensat. Plura de compensat. vide in Jur. Can. lib. 3. tit. 23. num. 19.

De Actionibus Arbitrariis, & Non-Arbitrariis.

104. IN §. 31. b. t. actiones stricti juris subdividuntur in arbitrarias, & non-arbitrarias, quae varii varie explicant. Sed conformius cit. §. 31. Arbitrariae sunt illae, in quibus Judici ante sententiam definitivam permittitur arbitrari per interlocutoriam, seu simplex præceptum; cui si reus pareat, absolvitur; sin minus, definitive condemnatur secundum rigorem Juris: nam quaedam actiones prima fronte sunt severae, adeoque ut benignius cum reo agi possit ex aequitate, recte simile arbitrium Judici permittitur. Actiones non-arbitrariae sunt, in quibus Judex nequit arbitrari per interlocutoriam, sed secundum petitionem actoris debet reum condemnare. De his nihil hic speciale dicendum, cum ex opposito omnia intelligantur secundum regulas communes judicio.

105. Q. I. Quae sint actiones arbitrariae, & quomodo fiat in eis arbitrium? R. 1. Reivindicatio, in qua Judex ante definitivam jubet rem actori, tanquam domino, restitui; cui præcepto si reus non pareat, fertur in eum severior sententia definitiva, ut res illi violenter, seu manu militari auferatur, & interesse compensetur. l. 58. ff. de Rev. Us. 2. Publiciana, in qua idem observatur, quod in reivindicacione. 3. Serviana, & quasi-Serviana, in quibus similitur, si ad primum Judicis præceptum pignus non restituitur, hoc manu militari auferatur reo; & si is dolo desit restituere, definitiva secundum juramentum in litem proferatur. l. 16. §. 3. ff. de pignori. Haec actiones sunt reales arbitrariae; ceterae sunt personales: quod metus causa, de dolo, de eo, quod certo loco, ad exhibendum, & actio noxalis: in his enim, si reus non pareat primo præcepto Judicis, gravius condemnatur, ut in seq. patebit.

106. Q. II. Quid sit actio, quod metus causa: cui contra quem? Et ad quid competat? R. 1. Actio metus est personalis, in rem scripta, praetoria, mixta, arbitraria, competens metum passio ad aliquid dandum, faciendum, vel non faciendum; principaliter contra metum inferentem intra annum in quadruplum, post annum in simplum. §. 25. & 31. h. t. Dicitur 1. Personalis, quia principaliter oritur ex delicto metus illati. 2. In rem scripta l. 9. §. fin. ff. quod metus causa, quia imitatur actionem realem in eo, quod non solum datur contra delinquentem, sed metus illatorum, sed etiam contra quemcumque possessorem, qui ex metu illato sentit commodum; cum aequitas naturalis non sinat aliquem ex delicto alieno lucrum sperare, aut querere. l. 14. §. 3. ff. quod met. caus. l. 134. ff. de Reg. Jur. 3. Praetoria, quia ex Edicto Praetoris descendit l. 1. ff. quod met. caus. 4. Mixta, quia rem, & poenam tripli persequitur. 5. Arbitraria, quia Judex primum ex bono, & aequo jubet rem restituere: si vero reus non pareat huic arbitrio, condemnatur in simplum rei, & triplum poenae v. g. dedisti ex metu gravij injusto 100. si si reus a Judice justus noluit eos restituere, condemnatur in quadruplum, seu in 400. lib. 14. §. 4. ff. de t.

107. R. ad 2. Actio, quod metus causa, competit metum passio sive in se, sive in suis liberis, uxore, aut subditis, ut Religiosis l. 8. ff. de t. & cum sit rei persecutoria, transit ad heredes metum passi. lib. 16. §. 2. eod.

108. R. ad 3. Actio metus datur: 1. contra metum, seu vim compulsivam inferentem, ejusque heredes secundum id, quod de lucro turpi ad eos pervenit l. 16. eod. imo contra heredes heredes; etsi ad eos nihil pervenerit; quia sufficit aliquid pervenisse ad primum heredem l. 17. eod. Si tamen res ante litem contestatam apud primum heredem bonae fidei possessorem capta fuerit, haeres heredis non tenetur hac actione arg. a sens. contr. l. 18. 19. 20. eod. 2. Contra quemcumque possessorem, vel detentorem rei per metum ablata, sive eam habeat ex lucrato, sive ex oneroso titulo. l. 14. §. 3. eod. nam actio ista, cum sit in rem scripta, sequitur conditionem actionis realis; adeoque datur contra quemcumque possessorem rei.

109. R. ad 4. Actio metus persequitur rem, &

implum poenae, etiam ab illo praestande; qui rem boni fil. acceptam possidet, & ad mandatum Judicis restituere recusat. l. 14. §. 1. eod. Si tamen metum passus aliquod pretium accepit v. g. pro re metu vendita, tenetur illud restituere emptori. l. 3. C. de his, quae, mensurae caus. sunt. Plura de hac actione vide in Jur. Can. lib. 1. tit. 40.

110. Q. III. Quid sit actio de dolo? R. est actio personalis arbitraria competens decepto contra malo dolo decipientem pro reparanda indebita decepti. l. 1. §. 1. ff. de dolo malo. ubi ponitur Edictum Praetoris his verbis: *qua dolo malo facta esse dicentur, si de his rebus alia actio non erit, & iusta causa esse videbitur, iudicium dabo.* Actio ista est: 1. Personalis, quia oritur ex delicto doli facti. 2. Arbitraria, quia deceptor suae imprudenciae aliquatenus imputare debet, quod se decipi passus sit: deceptor vero, si rem dolo acceptam non restituit, condemnatur ad simplum, & simul infamia notatur; ex quo capite actio ista famosa est. lib. 18. ff. de dolo mal. 3. Reipersecutoria: non vero poenalis, sicut actio metus, furti, & violentiae: tum quia non inferit vim aliquam, sicut metus, furtum, & rapina; tum quia sufficienter puniunt infamiatione, l. 1. §. 4. eod. 2. Actio ista, cum sit personalis pura, & non in rem scripta, competit contra solum decipientem, ejusque heredes, si quid ad eos pervenit, vel eorum dolo factum est, quo minus perveniret l. 17. in fin. l. 26. 27. eod. Si autem plures deeeperunt, singuli tenentur in solidum, upore ex delicto obligati; uno tamen solvete omnes liberantur, ne idem bis exigatur. cit. l. 17. & l. bona fides. ff. de Reg. Jur. 3. Cum actio ista sit gravis, & infamans, non conceditur, nisi causa cognita, & in defectu alterius actionis, ut patet ex cit. Edicto. Unde requiritur summa notabilis; quia de minimis non curat Praetor l. 4. ff. de in integr. rest. defectus alterius actionis; quia si adhuc remedium ordinarium non conceditur extraordinarium, & subsidiarium: uti est actio doli arg. l. 16. ff. de Minor. Persona, qui accommodati possit actio doli: quia si persona debetur pietas, & reverentia, contra eam non datur actio doli; sed in factum, qualiter liberi contra parentes, liberti contra patronos, plebeji, & viles contra virum consularem, prodigi, & inhoneste viventes contra virum honestum non intentant actionem doli; sed in factum, lib. 11. ff. de dolo mal.

111. Q. IV. Quid sit actio de eo quod certo loco dari promissum est? R. est arbitraria, quae debentur petitur in alio loco, quam conventum est, salvo interesse utriusque partis v. gr. Titius promittit se solummodo Vienna Kalendis Junij; & quia hoc tempore Viennae non comparuit, peto debitum Prae, ubi Titium deprehendi. Et quidem 1. si reus fuit in mora, quo minus loco convento solutum fuerit, Judex arbitrio suo condemnabit eum non tantum ad summam debitam, sed etiam ad interesse actoris. Si vero iusto impedimento ad locum conventum venire non potuit, condemnabitur ad summam contractam, lib. 4. ff. de eo, quod certo loco. 2. Si debitor non fuit in mora, & pecunia in alio loco petatur, attenditur utriusque partis interesse, & quidem si rei interest in loco convento solvi, minoris fuit condemnatio; si vero actoris interest, sit condemnatio majoris; ex quo capite actio ista est arbitraria l. 2. ff. eod. Vide de hac actione in Pandectis libr. 13. tit. 4. in Codice lib. 3. tit. 18.

112. Q. V. Quid sit actio ad exhibendum? R. est civilis, personalis, in rem scripta, arbitraria, competens ei, qui pretendit interesse justum, & pecuniarium ad hoc, ut res mobilis exhibeatur videnda contra quemcumque possessorem, reque exhibita sit potestas actori illam vindicandi. Est actio ista 1. Civilis, quia datur ex legibus, sicut reivindicatio. 2. Personalis l. 3. §. 3. ff. ad exhibenda, quia hac actione non petit actor rem sibi restitui, sed intendit praecise, ut reus aliquid faciat, hoc est exhibeat rem videndam, vel solvat, quanti ea res erit, quod est proprium actionis personalis. 3. In rem scripta, quia imitatur actionem realem in eo, quod procedat contra quemcumque possessorem, vel detentorem, ut rem exhibeat. l. 3. §. fin. ff. eod. Unde datur contra creditorem ratione pignoris, fructuarium, vassallum, emphyteutam, depositarium, commodatarium &c. l. 4. §. 7. 12. eod. atque ita actio ista est

est preparatoria ad vindicationem. l. 2. ff. & l. 1. Cod. eod. quia si res exhibita appareat esse actoris, eam vindicare poterit. 4. *Arbitraria*, quia si reus ad iustum iudicis rem non exhibeat, condemnatur, quanti interesse actoris. l. 7. §. fin. l. 9. §. fin. ff. eod. quod interesse subsistere debet, & tempore litis contestata, & tempore sententiae, ut ita subsistat & peticio, & condemnatio. *tit. l. 7. §. fin.* Requiritur autem, ut interesse istud sit *iustum*, quia si iudex summarie cognoscendo, videt causam non esse iustam, non debet hanc actionem concedere. l. 3. §. 9. & 11. eod. item ut sit *pecuniarium*, & in ordine ad vindicationem; quia si iustus interest rem exhiberi ex alia causa, non est locus huic actioni; & ideo non sunt exhibendae rationes adversario, etsi ejus multum interfit, neque libri studio, vel advocato, etsi eos legendo doctior, & melior evaderet. *lib. 13. 19. eod.* quia hoc interesse non est pecuniarium. Vide de hac actione *tit. ff. & Cod. ad exhibend.*

113. Q. VI. In quo actio noxalis sit arbitraria? R. in eo, quod, si dominus servi, aut animalis nolit aestimationem damni dare, vel servum, aut animal noxae dedere, condemnatur, quanti iudex aestimaverit. l. fin. ff. de interd. de hac actione agitur infra *tit. 8. 9.*

Explicatur §. 32. usque ad 35.

114. IN his paragraphis Imperator incidenter ponit ea, quae pertinent ad iudicia, & condemnationes. Et quidem, sive proponatur actio certae, quae certum quid, quantum, quale petitur, sive actio incertae, quae determinate non exprimitur quid, quantum, & quale petitur, ut in hereditatis, tutela, & similibus actionibus amplius: iudex tamen quantum possibile est, debet ferre sententiam certam quo ad rem principalem, & ejus accessoria §. 32. h. t. Excipit i. nisi sententia ex natura actionis concipienda sit alternative v. g. in iudicio noxali, ut reus vel damnum reparet, vel servum noxae daret &c. 2. In actionibus universalibus, & generalibus, in quibus determinatio iterum plerumque fit in executione; maxime quo ad fructus, & alia accessoria: nam licet libellus debeat esse certus, & sententia ei conformis; tamen certitudo ista maxime attenditur in re petita, & causa petendi; ne v. g. fundus petitus ex causa empti, adjudicetur actori ex causa donati. At in quantitatibus saepe fit variatio, si in decursu iudicii appareat iudici majorem, vel minorem quantitatem esse solvendam. Vide in Jure Canon. *lib. 2. tit. 27.*

115. In §. 33. h. t. ponuntur quatuor modi plus petendi: Re, dum res major petitur, ut totum pro parte, 20. pro decem. Tempore, dum citius petitur, quam sit conventum. Loco, dum alio loco petitur, quam convento. Causa, dum in genere, vel alternative debitum petitur in specie; & determinate. Vide in Jur. Can. *lib. 2. tit. 11.*

116. In §. 34. h. t. traditur, quod actor, qui minorem quantitatem, quam sibi debitum petit, sine periculo agat, hoc est sibi non praedictet: quia in eodem, vel alio iudicio reliquum petere potest. Neque ei obstat exceptio rei iudicatae, cum de alia re agatur.

117. In §. 35. h. t. traditur, quod actor, qui aliud pro alio, vel ex alia causa petit, sibi non praedictet; quia errorem corrigere potest emendato, vel mutato libello. Vide Jus Can. *lib. 2. tit. 3.*

§. X.

De Actionibus in Solidum, & non-Solidum.

118. Q. I. Quid sit actio in solidum? R. est peremptoria totius, quod nobis debetur: nam quanta est obligatio debiti, tanta debet esse condemnatio, & solutio; ut ita aequalitas servetur. Huiusmodi actiones regulariter sunt omnes, nisi ob specialem rationem ius velit condemnationem esse minorem debito.

119. Q. II. Quid sit actio in non-solidum? R. I. est peremptoria minoris, dum iudex ob certas rationes rem non condemnat in totum debitum, etsi hoc velit actor. §. 36. h. t. quod quidem oritur non ex natura actionis, sed ex aequitate, & ratione personarum; sicut

etiam in criminalibus propter excellentiam personae poena mitigari solet. l. 31. ff. de poeni.

120. R. 2. Actio degenerat in non-solidum in casibus seq. 1. Si contra patrem agatur ex contractu filii; tunc enim pater non condemnatur in solidum, sed peculio tenetur, ut supra n. 66. dictum. 2. Si agatur contra personam munitam privilegio competentiae, ne cogatur ad solvendum ultra quam possit, salva sua competentia, & honesta sustentatione. Tale privilegium habet maritus contra uxorem in repetitione dotis, parentes, patroni, socius contra liberos, libertos, & socium. §. 37. 38. hoc tit. nam specialis amor, reverentia, & amicitia similibus personarum non permittit condemnationem in solidum; ne alter per alterum depauperetur. Idem beneficium competentiae habet donator contra donatarium. l. 12. ff. de donation. lib. 28. 29. ff. de Reg. Jur. Miles armatae militiae. l. 6. pr. ff. de re iudic. quod etiam accommodati solet militi togato, ut doctoribus, medicis, advocatis: & de Jure Can. Clericus, seu miles caelestis eodem privilegio gaudet. c. 3. de solutio. quia vero exceptio competentiae est personalis, non prodest heredi, aut successori. l. 7. pr. ff. de exceptio. 3. Debitor, qui omnia bona sua creditoribus cessit, si postea perveniat ad pinguem fortunam, non condemnatur in solidum. §. fin. h. t. quia respectu priorum creditorum gaudet beneficio competentiae. Quod aliqui extendunt ad eos, qui bellorum incendii, aut simili calamitate ad incitas redacti sunt; cum & pro his militet eadem ratio, quod inhumanum sit spoliatum fortunam suis in solidum damnari. 4. Compensatio in quantitatibus minuit actionem in solidum, quia debitum cum debito in vicem solutionis compensatur. §. pen. h. t.

De ceteris actionibus agetur *tit. 7. 8. 9. & 12.*

TITULUS VII.

Quod cum eo, qui in aliena potestate est; negotium gestum esse dicitur.

I. IN h. t. & duob. seq. traditur divisio actionis in principalem, seu directam; dum quis ex propria persona obligatur ratione contractus a se initi, vel delicti a se commissi, & accessoriam, seu indirectam a obligam, seu adjunctionem; dum quis ex alterius persona, seu ratione alieni contractus, aut delicti obligatur. De priori nihil hic speciale dicendum. Posterioris sex sunt species ex contractu: quod iustum, exercitoria, institoria, tributoria, de peculio, de in rem verso. Ex delicto est actio noxalis, de qua seq. tit. & actio quadrupedaria, de qua *tit. 9.* Omnes haec indirectae actiones sunt praetoriae ob aequitatem introducere: quia aequum est, ut patres, & domini, qui ex personis sibi subjectis commodum sentiunt, etiam ex illis sentiant onus, & incommodum. Quae hic dicuntur de servis, & dominis, eadem ferre omnia intelligenda sunt de filiis, & parentibus. *pr. h. t.*

2. Q. I. Quid sit actio quod iustum? R. est actio praetoria personalis competens in solidum contrahenti contra dominum, vel patrem, quorum iustus servus, aut filius contraxit. §. 1. h. t. ubi ratio additur; quia is, qui ita contrahit, fidem domini sequi videtur. Iustus est mandatum, quod datur personae in potestate constitutae etiam invitae: & per hoc differt a mandato specificae tali, quod datur personae extraneae volenti. *lib. 8. §. 1. ff. de procurator.* Porro ad hanc actionem sufficit iustus, vel formalis, vel aequivalens; ut si dominus contractum servi subscribat, vel sigillet, vel ratum habeat. l. 1. §. 4. §. ff. quod iustum. In quo *tit.* plures casus de hac actione videre poteris.

Q. II. Quid sit actio exercitoria? R. est actio praetoria personalis in solidum competens contra exercitorem navis, ut contrahenti praestet, quod ei debetur ex contractu magistri, vel sub-magistri navis. §. 2. h. t. nam exercitor omnia facta magistri tenetur praestare, ne contrahentes decipiantur. Exercitor navis vocatur principalis dominus, navarchus, seu nauclerus, ad quem omnes redditus navis spectant. Magister navis est ille, qui praepositus est navi regenda, cuiuscumque sit conditionis, aut sexus, sive major, sive minor, vir femina &c. Sub-Magister navis est, qui a magistris substituitur, etiam exercitore prohibente; quia ob utilitatem,

Quod cum eo, qui in aliena potestate est.

rationem, & necessitatem navigandi Jus permittit talem substitutionem magistris. l. 1. §. 5. ff. de exercitoria. 2. Ut hac actio procedat, debet esse contractus cum magistris; vel sub-magistro; non vero cum navis; licet aliquoquin si naute, vel magistris in suo ministerio delinquant, exercitor tenetur ex eorum delicto; quia opera malorum hominum utitur. §. 3. de oblig. ex quasi delict. 2. Ut magister non excusetur sine sua negotiationis; ut si constitutus est ad vecturas exigendas, seu pensiones, & is navim locavit. l. 1. §. 2. ff. de exercitor. 3. Exercitor contra magistrum regressum habet per actionem mandati, locati, negotiorum gestorum, prout inter eos convenit. l. 1. §. 18. eod. In quo *tit.* plures de hac materia casus reperies. Hic adverte in Pandectis post *tit. de exercitoria* subijci titulum *Ad Legem Rhodiam de jactu*; quae disponitur, ut si levanda navis causa merces aliquorum ejiciantur, damnum hoc sit omnibus mersatoribus commune pro rata, nisi merces ejctae recuperentur: tunc enim suae cuique manent. Vide Zoel. ad *tit. tit. ff. ad L. Rhod. de jactu.*

4. Q. III. Quid sit actio institoria? R. est personalis praetoria in solidum competens contra principalem praepositum, ut solvat contrahenti, quod ei debetur ex contractu institoris. §. 2. h. t. quia etiam hic contrahens sequitur fidem praepositi. Haec actio non vocatur a principali, sicut prior; sed a ministro praeposito negotiationi terrestri, seu tabernae, qui vocatur Institor, vulgo Factor, seu praepositus tabernae. l. 2. ff. de institor. *alt.* Haec actio in plerisque convenit cum superiori: differt vero, quia oritur ex negotiatione terrestri, & institor nequit sibi substituere alium substitutorem absque speciali mandato; cum non sit ita necessitas in terra, quae in mari, ubi locus, & tempus saepe non admittit plenius deliberandi consilium. *lib. 5. ff. de exercitor. Vide tit. ff. de institor.*

5. Q. IV. Quid sit actio tributoria? R. est praetoria personalis ad aequitatem pro rata dividendas merces peculiaribus inter dominum, & alios creditores §. 3. h. t. Dicitur tributoria a distributione; quia ex peculio servi, vel filiiam. quilibet creditor id tribuitur, quod sibi debetur pro rata. 2. Actio ista datur tantum in mercibus peculiaribus, & quas servus sciente, & patente domino administrat. l. 1. §. 3. l. 5. §. 17. ff. de tributor. *actio.* Unde si servus in peculio habeat 2000. & unum mille dat in merces, alterum ad usus, tantum unum mille in merces expositum venit in tributorem, in qua dominus, vel pater non gaudet privilegio deductionis. Item si dominus ignoret merces peculiaribus servi, non est locus tributoriae, sed actioni de peculio, in qua dominus, & pater habet privilegium deductionis, ut 44. quod post concessum peculium sibi civititer, vel naturaliter debetur, ante alios creditores deducere possit. §. 5. h. t. l. 9. §. 12. ff. de peculio. Ex quo patet differentia harum actionum. Vide *tit. ff. de tributor. alt.*

6. Q. V. Quid sit actio de peculio? R. est praetoria personalis competens creditori ex contractu servi contra dominum, ut solvat secundum vires peculii. §. 4. h. t. Differt a prioribus, quia in illis requiritur iustus, consensus, vel scientia, & patientia domini, non vero in ista; quia hoc ipso, quod dominus servo, & pater filio concedat peculium profectitum, dat ei potestatem contrahendi, & cons. ex eorum contractu obligatur peculio tenens. salvo privilegio deductionis v. g. filius habet in peculio 100. debet vero patri 40. & Titio creditori 80. in hoc casu pater sibi deducit 40. & residuum dat Titio, scil. 60. secundum vires peculii, non vero solidum, seu 80. Vide *tit. ff. de peculio.* 2. Extinctio peculio v. g. per revocationem, manumissionem, vel mortem servi, ne creditores defraudentur, datur eis actio annalis de peculio, quae porrigitur ad unum annum utilem, sicut aliae praetoriae. Vide *tit. ff. quando de pecul. actio annalis est.*

7. Q. VI. Quid sit actio de in rem verso? R. est praetoria personalis competens creditori, qui inficio domino, vel patre conuaxit cum servo, vel filiofam, ut solvant id, quod in rem, seu utilitatem eorum versum est §. 4. h. t. ne scilicet dominus, vel pater cum iactura alterius locupletentur. Et quidem, si solidum versum est in rem dominum, is tenetur in solidum; si pars tantum, etiam pro parte tantum tenetur: v. g. servus

pro alimentis familiae accepit mutuos decem modios frumenti, eosque in alimenta familiae convertit, dominus tenetur ex hoc contractu in solidum. 2. Actio ista saltem utilis, competit ex contractu famulorum conductitiorum, qui in locum servorum succedunt: item pro illo casu, quo res ad utilitatem domini comparata casu perit. l. 1. §. 1. ff. de in rem verso, qui non obstat l. 10. §. 6. eod. nam procedit in casu, quo dominus servo solvit rem ab eo comparatam; & tunc actio erit contra servum peculio tenens. E contra cessat actio ista, si servus simul se rem versurum in utilitatem domini, & ita creditorem decipiat. l. 3. §. 9. eod. ne facilis credulitas creditoris obdit domino; sed eo casu procedet actio de peculio.

8. Q. VII. Quid Juris in concursu harum actionum? R. 1. Cui competit actio quod iustum, exercitoria, institoria, & tributoria, etiam ei competunt duae reliquae, scil. de peculio, & de in rem verso: una vero electa, ceterae constamuntur. §. 5. h. t. adeoque prudens creditor eligat pinguiorem, quia solidum consequi possit. 2. Si concurrant actio quod iustum, exercitoria, vel institoria, stulte ager creditor, si eligat actionem de peculio, vel in rem verso: nam in prioribus consequetur solidum cum facili probazione; in posterioribus vero non consequetur plus, quam fit in peculio, vel in rem versum, & cum difficili probazione. 3. Si concurrant tributoria, de peculio, & de in rem verso, aliquando pinguior est tributoria, quam de peculio, & de in rem verso: aliquando e contra; adeoque considerande sunt vires peculii, mercium speculiarium, & rei versa. Ex his melior est actio de in rem verso, dummodo actor probare possit rem in utilitatem domini versam fuisse, quia sic solidum consequetur. *tit. §. 5. h. t.*

Explicatur §. 6. 7. 8. h. t.

9. IN §. 6. h. t. dicit Imp. ea quae dicta sunt de ser- vo contrahente, & domino, pariter intelligenda esse de filio, & filia, nepotibusque in patria potestate constitutis; quia pariter ex eorum contractibus obligatur patrem.

10. In §. 7. h. t. ponitur differentia, quod licet dominus ex contractu mutuae pecuniae a servo acceptae obligetur, tamen nec liberi in potestate constituti, nec pater eorum in effectu obligentur ex tali mutua pecunia a liberis accepta propter exceptionem, seu beneficium Senatusconsulti Macedoniani; quia repellitur fenerator, ut nulla actio vel petitio illi iudicio concedatur. Ratio ibi datur: quia liberi saepe onerari ere aliena creditorum pecuniarum, quas in luxuriam consumebant, rite parentum insudabantur. Vide in Jur. Can. l. 5. *tit. 19. & tit. ff. & C. ad Senatusc. Maced.* His addi potest alia differentia: quia servus obligatur tantum naturaliter, non civiliter; cum non sit caput civile, nec ultra vires peculii; neque fideiuber, & mandare potest extra causam peculiarum. l. 3. §. 5. 6. ff. de pecul. e contra filius obligatur civiliter ex omni suo contractu in solidum; & ex ejus fideiussione quacumque obligatur pater peculio tenens: siquidem filius plus juris habet in peculio, quam servus; & consecratis bonis paternis, salvum ei manet peculium profectitum l. 3. §. 4. ff. de Minorib.

11. In §. fin. h. t. Imp. reformans priora Jura dicit, actionem quod iustum de in rem verso, exercitoriam, & institoriam, non tantum obliquam, sed etiam directam concedi contra patrem, & dominum principalem: nam fictione juris censetur contractus cum eis celebratus: siquidem quod quid per alium facit, est perinde, ac si faciat per se ipsum. l. 180. ff. de Reg. Jur.

De his actionibus relege Jura in Pandectis l. 14. & l. 15. per tot. & in Codice l. 4. *tit. 25. & 26.*

TITULUS VIII.

De Noxalibus Actionibus.

ACTIONES noxales, de quibus agitur in ff. & C. h. t. oriuntur ex delictis privatis servorum, & filiorumfam, ut si quid furetur, vi rapiant, pecora occidant, vel quid destruant, & tanquam oblique dantur contra dominum, vel patrem, idque ob aequitatem: nam contra servum agere non possum: tum quia